



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

AUGUSTINO S.R.E. CARDINALI VALLINI

OB EPISCOPATUS QUINTUM ET VICESIMUM ET

PRESBYTERATUS QUINQUAGESIMUM ANNUM COMPLETUM*

Venerabili Fratri Nostro

Augustino S.R.E. Cardinali Vallini

Vicario in Urbe Nostro

Inter privilegia, Venerabilis Frater Noster, et dona quae benignissimus Dominus in te conguessit, bina annumeratur hoc anno causa laetandi, quandoquidem proximi mensis Maii tertio decimo die ipsum episcopatus tui quintum et vicesimum et mensis Iulii die undevicesimo presbyteratus quinquagesimum annum completum sollemniter tibi licebit commemorare. Diuturnum igitur tuum ministerium perspicuo Nobis Nostraeque Ecclesiae est argumento tibi magnopere gratulandi totum apostolicum cursum, hoc diuturno tempore in Ecclesiae commoditatem salubriter destinatum luculenterque perfectum.

Mentem tuam a tristibus illis temporibus abducere fortasse non potes, cum, te puero, pater est a familia abstractus et in Germaniam deportatus; altero bello mundano composito, e vita excessit mater. Sed cum in deterius res inclinari viderentur, Dominus tibi laetiora concredidit teque ad propiorem suum famulatum vocavit: "Sequere me". Etenim Neapolitanum es ingressus Seminarium, ubi congrua studiorum curricula absolvisti, quae copiosius apud Institutum Theologicum Neapolitanum sunt aucta. Aeterna hac in Urbe in iuridicialibus rebus uberiores doctrinam es adeptus, quam transferre deinceps in discipulos erudiendos properasti. Nec neglexisti fideles ipsos colere et in eosdem Evangelii beneficia transmittere.

Decessor Noster beatus Ioannes Paulus ii te Auxiliarem Episcopum Neapolitanum voluit, titulo addito Tortibulano. Quinque per annos posthac Albanensis Sedes tuis Pastoris officiis usa est

tisque apostolicis laboribus. Idem deinde Summus Pontifex Supremo Tribunali Signaturae Apostolicae te destinavit Praefectum atque Benedictus XVI in Patrum Cardinalium Collegium provido de consilio te rettulit Idemque Vicarium Generalem pro Romana dioecesi te aequa de causa elegit.

Si quidem Ipsi Nostri Decessores tuae praestantiae operositatisque sunt testes, qui te cuncti fidum usque reppererunt Ecclesiae ministrum actuosumque complurium Romanae Curiae Dicasteriorum participem, Nos Ipsi has per Litteras eadem notiora reddimus, tuorum meritorum assertores, quemadmodum fecimus, cum te Nostrum Urbis, suburbiorum et districtus in spiritualibus Vicarium et Iudicem confirmaremus.

Singularem praeterea in modum cupimus tibi grates agere, eo quod Nobis munus Petrinum obire incohantibus proximus amabiliter fuisti. Fraternalis tua illa affectio animique calor multum apud Nos habuerunt pondus Nosque valde iuvarunt ac sustinuerunt.

Potiora quidem de te considerantes, nihil opus esse pluribus verbis, nec singillatim tua munia necesse esse numerare arbitramur, ut tibi probationem Nostram atque pergratum animum planum faciamus, quem eundem potissimum confirmare cupimus cum incidet sacerdotalis episcopalisque tua haec honorifica commemoratio. Tibi itaque nominatim, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem Nostram ex corde addicimus, cum Episcopis Auxiliaribus ac dilecta Nostra Communitate largiter communicandam, dum pro Nostro Petrino munere efficaciter explendo preces simul petimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIII mensis Aprilis, anno MMXIV, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS